



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

Alexandro VII. Pontifici Maximo Martinvs De Esparza Artieda Fœlicitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)



ALEXANDRO VII.

PONTIFICI MAXIMO

MARTINVS DE ESPARZA ARTIEDA
Fœlicitatem.



*V*M prima Opuscula mea Theologica prodirent
in lucem ante decennium sub fœlicissimis auspiciis
Sanctitatis Tuae, inundantem novæ lucis magna
mole auroram Pontificatus tui salutari tectus spe-
cioso nomine illustrissimi Comitis Eusebij Truchses,
commilitonis modò mei, tunc discipuli. Absterrue-
re me nimirum, quominus auderem detecta appa-
rere facie, tum primus aspectus Summæ Maiestatis Viro superimpo-
sita summo, tum conscientia tenuitatis meæ paucas, ac dissipatas
Theologica sementis meæ spicas consecrantis. Audentior subinde red-
ditus suavissima humanitatis tuæ experientia multiplici, & honestis-
simis muneribus, aliisque beneficiis merito meo longè maioribus à
Te autus, uniuersam Theologiam meam, meque ipsum iam per me
ipsum pedibus tuis subiicio, & tutelarem manum supplex exposco.

† 3

Non

Epistola Dedicatoria.

Non autem abutar occasione ista (*BEATISSIME PATER*) ut pretextu dedicandi Operis coarctem in compendium magnificos laudum tuarum titulos, quæ latissime patentes expleturæ olim sunt magnam, & conspicuam Annalium Ecclesiasticorum partem. Quia nec vera, eademque heroica, & summa absque adulationis apud ignaros, aut malignos suspitione, aut insimulatione, nec mediocria absque conscientia labe, & graui apud probos rerum à Te gestarum inspectores reprehensione dicere possum: & qualiacumque dicerem, epistolarem in modum contracta detererem potius, quam explicarem, ac commendarem; cum nihil multis, & magnis rebus nocentius sit, quam ad paucitatem cogi, & paruitatem. Quod caput est, sepositis iis, quæ sunt humano Generi communia, atque in æuum duratura ad exemplum posterorum, & sæculorum admirationem, supersunt mihi integræ rationes meæ propriæ incidendi Tibi exiguum istud grati animi monumentum. Tua in primis ad hoc me adigit erga me, meosque beneficentia singularis, humanissima dignatione cumulata. Verum ea me deinde obstringit multò magis, quam erga Ordinem nostrum oculis mihi meis chariorem effusissimè exercuisti. Longum esset singula recensere. Illud unum est grata in nobis omnibus memoriæ argumentum immortale, reditus noster ad Serenissimam Venetorum Rempublicam, qui cum Ordini nostro vniuerso acciderit optatissimus, effecisti Tu mirabili paternæ providentiæ efficacia, & pretiosis administriculis, ut & honorificentissimus euaderet. Accessit ad hæc alius præterea stimulus, Cardinalem Sfortiam Pallauicinum, collegam olim meum in Gymnasio Collegij Romani, dedicasse Fabio Chisio librum unum, & rursus alium Cardinali Sanctæ Mariæ de Populo, ac demum Alexandro Septimo laudatissimum opus historiæ Concilij Tridentini: nec decuisse, ut quo plurimum cohonestor antagonistâ, & cuius mutuis concertationibus scholasticis haud minùs profeceram, eius in re litteraria, quæ est communis utrique suppetex, non imitarer exemplum toties præeuntis. Imitarer, inquam, si non granditate oblationum, obsequiosi saltem affectus exhibitione sincera. Verum meminisse huius incitamenti minime possum, quin regrediar ad beneficentiam erga me tuam. Nempe cum Pallauicinum ingenio summum, multiplici doctrina locupletem, tenacissimum honesti creasti Cardinalem, eo simul honore affecisti me. Quantus est suffici viro tanto. Iussisti nimirum, ut illius subirem vices in munere, quoungebatur, Qualificatoris Sancti Officij. Interea ego non arbitror recessisse me à proposito meo, dum quærens, supplexque petens Theologiæ meæ patrocinium, immoror gratiarum actioni, cum is efficacissimè petat, apud generosas, præcelsasque mentes, qui gratias agit impensissimè. Eò verò fidentiùs spero obtenturum me, quam opto tutelam, quò in hac ipsa re indulgentior extitit benignitas erga me tua, quando libellos illos
meos

Epistola dedicatoria.

meos totius huius Operis particulas, quos initio indicavi, oculis ipse tuis lustrare nonnunquam dignatus es, nec improbasti: atque meos indidem derivatos sensus coram proferentem audire sapius humanissime voluisti. Precor postremò Deum Opt. Max. semperque precabor, ut qui te Maximum sibi in terris Vicarium substituit, & donauerat, unde substitui deberes, ac porrò donat ut sis, qualis iam esse debes, indulgeat insuper te diutissime incolumem, & Vrbi quam magnifice exornas ac auges, & orbi cui prodes plurimum, & Religioni, ac pietati, quas tueris fortiter, promoues vigilanter. Datum in Collegio Romano Societatis J E S V, die prima Februarij, Anno 1666.



APPRO